Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quo implebatur quam sapientissimus erat.
In hac itaque forma mulieri as-
titit dicens: Cur praecepit vobis deus
ne comederetis de omni ligno
paradysi? Cui mulier: ne forte
moriamur. Quo dicto, aditum
seducenti aperuit. ac ideo protinus
subiunxit. Nequaquam moriemini.
Scit enim deus quia in quocumque die
comederitis ex eo aperientur oculi
vestri. et eritis sicut dii scientes
bonum et malum. Sic ergo et diabolus
hominem tribus modis temptavit: gula.
vana gloria. avaritia. Gula persua-
dendo cibum dicens: In quocumque
die comederitis. vana gloria pro-
mittendo deitatem dicens: eritis
sicut dii. avaritia promittendo
scientiam dicens: scientes bonum et
malum. Est autem gula immoderata
cibi aviditas. vana gloria amor
proprie excellentie. avaritia enor-
mis cupiditas habendi. que non
tantum pecunie est sed omnis quod supra
modum ambitur. Nota etiam hic
ordinem humane perditionis. Pri-
mo affirmavit deus dicens: quacumque
hora comederis ex eo morte
morieris. Deinde mulier du-
bitando dixit: ne forte mori-
amur. Tertio diabolus negavit
dicens: Nequaquam moriemini.
Dubietas ergo ab affirmante
recessit. et ut periret. neganti
diabolo appropinquavit.

De peccato hominis.

Denique videns lignum
quod esset pulchrum.
et ad vescendum suave.
credens verbis serpentis con-
medit. deditque viro suo. in
quo diabolo suggerente
utique peccavit. Videtur tamen quod
temptationem praecesserit ex
peccatum pro eo quod ait. Non Sr gen
est putandum quod homo deiceret
nisi precessisset in eo quedam
elatio comprimenda. Item quomodo verbis
temptatoris crederet mulier.
nisi inesset ei amor proprie
potestatis. et de se superba pre-
sumptio. quod si ita est non gratia
alterius suggestione prius peccavit
homo. cum auctoritas tradat. Ideo
peccatum diaboli incurabile est
quia non suggestione. sed propria superbia
cecidit. Hominis vero curabile. quia non
per se sed per alium cecidit. et ideo per alium
surgere potuit. Ad hec autem
dicimus quod elatio non temptationem
precessit. sed prohibite comestionis
opus. Hoc autem ordine actum est.
precessit seducentis temptatio.
secuta est in homine mentis elatio.
Accessit tertio inobedientie
transgressio.

Que fuit elatio

Talis autem mentis utriusque
fuit elatio mulieris
ut vellet habere dei simi-
litudinem. putans id esse verum
quod diabolus dixerat: eritis
sicut dii. que elatio nequaquam